UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

2. De beneficio conseruationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

ptanda & eligenda, vt ægritudinem potius quam ſanitatem, mortem quam longam vitam, paupertatem, quam diuitias, religioſam vitam potius, quam ſecularem.

MEDITATIO II.

De beneficio conſeruationis.

1. CONSIDERA Deum poſtquam te fecit, etiam conſeruare & gubernare. quod non eſt minus beneficium priore. Illud enim ſemel tantum tibi factum eſt; hoc autem ſemper repetitur. Quotidie enim Dominus quodammodo te creat, quia ſemper conſeruat, quem ſemel creauit. nec minor vel potentia, vel amor requiritur in vno, quam in altero. Si igitur multum illi debes, quia ſubito te creauit, plus debebis, quod iugiter te cõſeruet. Quotquot enim temporis momẽta habuit, & habet, & habebit vita tua, tot partes ſunt iſtius beneficii, quia nec in vno illorum ſubſiſtere potuiſſes, ſi Deus oculos ſuos à te auertiſſet.

2. ConſideraDeum omnia alia bona mũdi condidiſſe, vt iuuarent ad tui conſeruationem & gubernationem, ac imprimis ange-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

angelos ipſos qui aſſiſtunt ſẽper ante fa- *Heb* 1
ciem eius. *Omnes enim*, teſte B. Paulo, *ſũt administratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Idem dicendum eſt de omnibus aliis creaturis corporeis totius mundi, quæ diriguntur à Deo in hunc finem, vt hominẽ in ſuo eſſe conſeruent. cœlum cum planetis, aer cũ auibus, mare & flumina cũ piſcibus, terra cum beſtiis, fructibus, floribus, coloribus & odoribus, quod mira- *Pſal.* 8.
batur Propheta dicens. *Quid eſt homo Domine, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniã viſitas eum? Gloria & honore coronaſti eum. & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius; oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.*

3. Conſidera, ſicut omnia bona ſunt noſtra beneficia, ſic etiam omnia mala eſſe noſtra beneficia, quia ab illis Deus nos cõſeruauit Alios enim videmus affligi calculo, alios podagra, alios lepra, alios epilepſia, aliisve morbis. Mundus enim hic nihil aliud eſt, quam infinitarum ærumnarũ & laborũ pelagus: nec in ea vel vna domus inuenitur, in qua nõ ſit aliqua calamitas. Itaq; ſi ab his liber & immunis ſis, eſt q Deo p tãto beneficio gratias agas.

Cũ enim omnia mala, aut ex natura, aut culpa oriantur, & in te vtraq; cauſa adſit, cur non ſimiles in te exiſtunt effectus? quis malorum illorum diluuium impediuit, quo minus te obruerit, niſi diuina gratia & beneficentia?

MEDITATIO III.

De beneficio Redemptionis.

1. CONSIDERA à quo ſis redemptus, nempe à filio Dei tuo creatore & conſeruatore, qui humanam naturam aſſumere dignatus eſt, vt perfectiſſimo modo te redimeret à peccatis, & perpetua damnatione inferni, quam per peccatum merebaris. 2 conſidera quantum amorem in hac re erga te & omnes homines Deus demonſtrarit, nempe quantum maximum potuit. Nam cum non poſſet pro ſuis peccatis ſatisfacere vllus homo, ſi Deus nõ fieret homo, ipſe pro homine voluit fieri homo & quidẽ mortalis & paſſibilis, ac potius mori pro homine, quam vt periret homo. Non ſecus, ac magnus rex aliquis pro viliſſimo mancipio, quod pro grauiſſimis ſceleribus nullo ſupplicij genere compro-